

VIR SVMME,
et Musarum Heros,

Nescio an seros istos, et in aetatis vespera labores
probaturus sis. Elogia sunt, et magnâ iam parte
scripta: è quibus unum istud, velut in specimen, mitto.
Reliqui libri mei et incubrationes in scriniis ac tenebris
iaceant, typographi defectu. Tempora igitur quando
meliora? quando Litterarum studijs pretium erit?
Sed me interim aliae quoque involvunt curae, aliae
crucis, aliae tempestates, et duricorem annis Siemen
objiciunt. Ecce, circa liberos meos sollicitus sum, non
ut amplius, sed Sonesi illis sit, quemadmodum edu-
cati sunt, septem filii superstites, quinque filiae.
Post LVSTVM, etiam MAXIMILIANVS uxorem nuper
duxit ANNAM MARIAM MOCKEL, BARTHOLOMAEI
et MAXIMILIANI, filiam: illius, inquam, qui Atransionen-
sibus aliquando praefuit, vir strenuus, rectus, et ma-
joribus suis dignus; solitus deinde Diestii fortunarum
suarum sedem habere. Hic nunc quoque agit cum
conynge filius meus, et in aedibus Socrus, ad publicum
aliquod munus adspirans. Quid multis? Satrapa
Diestiensis MANNARTIVS nuper obiit, in cuius am-
bit MAXIMILIANVS meus locum succedere. Quia favore
apud Comitem NASSAVIAM viduam opus est, mittere
ad

ad te vota mea ausus sum, et facilitatem mihi tuam
Humanitatem viam aperire. Vide quaeso an amicissimi-
mo hostium, uti me appellare soles, tantum tribu-
ere possis, ut eidem Excelsissimi Principis tui
Benevolentiam concilies. Si enim intelleges vidua
NASSAVIA, placere Principi, sane ad Puteanos Sa-
trapiam venire, difficilis non erit; praesertim cum
in conditiones aequas et honestas parati simus: bene
etiam de Illustrissimo Comite IOANNE, gloriosae
memoriae meriti, cuius virtutem celebravimus.
Sed aliud quoque petitionis adminiculum est, quod
apud te non verebor commemorare. Ab Optimo
mitissimoque Principe PHILIPPO GVILIELMO pen-
sio mihi assignata erat annua CCC. florenorum.
quam post eius mortem, redimere una aliquam pe-
cuniae summam Princeps MAVRITIVS desiderabat.
Egit igitur mecum FALCKENBVRGIVS: cui respondi,
nullis opus esse conditionibus; totam me pensionem
remittere; malle gratiam Principis, quam pecuniam.
Cum eiusmodi FALCKENBVRGIVS responsum non
expectaret, quandoquidem, inquit, placuit tibi tan-
generose respondere, faxo generositatem istam Prin-
ceps aestimet. Aestimavit vero, atque torque
una cum numismate aureo me condecorare voluit.
cessabit

cessabit

17. julij

Cessavit igitur haec persio, ac Serodilas hoc quidem
onere liberata est. Non iacto factum; sed aliquo nunc
tamen favore dignus videar; recipi in administrationem
muneris publici, quia pecuniam neglexi. Rogo igitur,
ut, si fieri possit, pro filio meo apud Principem agas:
à quo si vel brevis commendatio veniat, petitio no-
stra felicem, ut spero, exitum sortietur. Non adhuc de-
sino. Est in hac urbe nostra Vir Spectabilis, *Κ. ἱερέως*,
D. IOANNES HVGENS, tum cognatione nomen pos-
sicens, quem vidua BIAEA patruelam agnoscit. Etiam
michi amicitia iunctus est, XL. quasi aetatis annam
agens, sed sine munere, aut conditione commodâ.
Quia nihil sic obtineri potuit, ad te venio, ut tuo
auxilio aliquam ei fortunam aperiam. Quemadmodum
bonus, ita modestus est; verecundus petere Beneficium,
quamvis mereatur. Felix sit, si Sacerdotium, sive
Canonicatum, ut vocamus, obtineat. Non unum in po-
testate sua, nec uno loco, Princeps tuus habet. Sed
HVGENII nomen quomodò saltem uno dignum non sit?
A te commendari, satis erit. Non potest autem sine
conditione, sine sacro munere esse, qui tuus est:
magis futurus, si à te quoque subsidia vitae et
ornamenta accipiat. Iura HVGENIUM, qui alios soles:
et in hoc viro extolle nomen tuum, quod ubique nobis
venerabi-

venerabi-

Le est, et aliquid Seruici tui Genii representat.

Duplex sic quidem negotium proposui: unum filii mei,
quod maximè meum est; alterum Amici, quod etiam

tuum. In meo facies, quod fieri potest; in tuo, quod
et aliis solet. Ita totum totus te complector,

omnes in te Musas, Gratias, Virtutes. Vale, et me

ama; imò HUGENIUM, qui cum tuus sit, non po-

test esse non meus: cum meus, nonne tuis est?

Iterum vale, saeculi decas. Lovanii, in Arce,

xvi. Kal. Ianuarias, M. DC. XLi.

Magnò affectu TVVS

E. Puteanus.


226

R V D O L F I
I M P E R A T O R I S
E L O G I V M.

EX E. P. B. THEATRO HEROICO

in Specimen propositum.

Reliqui IMPERATORES, REGES, PRINCI-
PES AVSTRIACI, DVCSQVE BVR-
GVNDIÆ *parati ut sequantur, veris simul*
Imaginibus representandi.



[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, including words like 'ACADEMIA', 'LUGDUNENSIS', and 'BIBLIOTHECA']

R V D O L F I
 I M P E R A T O R I S
 E L O G I V M.

Ex E. P. B. Theatro Heroico.



AVSTRICÆ Gentis ac Magnitudi-
 nis Auctor RVDOLFVS, novum Orbi
 terrarum virtute suâ splendorem intu-
 lit: ne infra Imperium quidem, cum
 privatus adhuc esset; supra elogium,
 cum omnia regeret, & fastu tamen care-
 ret. Patre Alberto Sapiente, Comite Habsburgico; matre
 Hedwige, ultimâ Kiburgici sanguinis, anno ∞.c.c.xviii.
 Kalendis Maji natus, nomen ab avo accepit, sacris affi-
 stente lustralibus Frederico II. Imperatore. Tam magnis
 susceptus & elatus manibus, jam tum erigi ad magna,
 imò ad Imperium videbatur. Pueritiâ domi floruit: ado-
 lescens, in Frederici aulam, militiamque translatus, vi-
 rilem ac Martialem induit animum, corpore planè he-
 roico laboribus atque periculis adsuescens: foris maxi-
 mè, cum circumferentem per Italiam arma Cæsarem se-
 queretur. Patriæ (patre in Syria extincto) redditus, uxo-
 rem duxit Annam Hohenbergicam, virtute, quod pri-
 mum est, dote deinde, ac fœcunditate insignem. Dos
 quidem, Alfatia, aut magna ejus pars fuit: fœcunditas,
 septem mox filii; quorum unus tamen instar omnium,
 A 2 feli-

felici propagine stirpi & æternitati par, Albertus. Totidem filie, omnesque, unâ exceptâ (quæ cœlibem & sacram vitam elegerat) Euphemiâ, nuptiarum decore præcipuis Regum Principumque familiis insertæ. Otii interim impatiens, variæque laceffit, privata cum vicinis, nec non propinquis bella gessit, manifesto Fortunæ, bonam usque causam amplexantis, favore. Consiliis providus, armis promptus, facili nisu à virtute ad victoriam, à victoria ad famam veniebat. Vt Numen adesse scires, pius erat, & peculiari in Augustissimum Eucharistiæ Mysterium cultu, in posteritatem exemplo. Spectent Principes. Venatum, cælo turbato exiverat, & Sacerdoti venerabilem ferenti ad ægrum Hostiam obvius, equum quo vehebatur venerabundus dedit. Per pluviam deinde nudo sequi capite sacra pergit, Deum agnoscere, ut se hominem profiteretur. Non jam miror, vario promissum vaticinio Imperium: qui sic vehi noluit, sic evehi dignus erat. Crevit verò à factis gloria. Si quod bellum erat, non videbatur nisi RVDOLFI ductu auspicioque confici posse. Itaque vocatus ab Othogaro, Bohemiæ Rege, equitatum in Hungaros duxit, & feliciter pugnavit. Ab Argentoratensibus, & Episcopum aliquot prius oppidis, deinde & castris exiit. A Tigurinis, & Vdalricum Regensbergium, regio tumentem fastu, debellavit. Suo dein Marte Basileenses, Stellæ & Psittaci nominibus in factiones divisos, aggressus, hostem subito, & infestum sibi Antistitem S. Galli habuit: quem cum vincere posset, pacare maluit; prudenter professus, *Quando cum duobus dissidium est, cum alterutro paciscendum.* An Arbitrum litis, sequestrumque pacis quæret? Esse ipse voluit. Castris igitur, propè Vilam oppidum cum paucis egressus, ad Antistitem ivit, & *Adsum*, inquit,

non

non jam hostis, si te Amicum facio, omnem inter nos controversiam non armis, sed verbis decisurus. Quâ veni fide, aut agam ipse Iudicem, aut te feram. Neque longa disceptatio fuit: pax inita, & copiæ hostiles, auxiliares factæ: quibus auctus jam RVDOLFVS, Basileam, Stelligerorum, sive Nobilium, adversus Plebeios, atque Episcopum causam amplexus, petit, & agro prius subactò, obsidet. Quo tempore Francofurti de novo tandem creando Imperatore cœptum agi. Reges competitores erant, Alphonsus Castellæ, Richardus Angliæ, Othogarus Bohemiæ. Sed his repudiatis, septemvirali Principum consensu RVDOLFVS electus est, anno supra millesimum ducentessimum septuagesimo tertio: in quo numero aliquid quodammodo fatale fuisse, similitudo docuit: idem enim incipientis Imperii, & deficientis postea vitæ fuit. Tali omninò viro opus erat, ut Imperium, quod annis jam viginti duobus, tamquam cada ver jacuerat, surgeret; factionibus scissum, cum aliena quisque invaderet; vulneribus faucium, cum sua singuli malè regerent; in Italia autem hinc Guelfi, indè Gibellini incredibili rabie grassarentur. RVDOLFVS igitur inchoatum cum Basileensibus abrumpens bellum, toto in pompam stipatus exercitu, Francofurtum, & hinc Aquas-Grani Coronæ causâ profectus est; ut more institutoque Imperii inauguraretur. Mirum dictu! Iphis solemnibus, cum ad manum, nescio quâ culpâ, sceptrum non esset, & aliqui etiam Principum, natâ quasi occasione, tergiversarentur, Crucem ex ara arripiens, *Quod felix, inquit, faustumque sit, hoc ego signum, quo redemptum est genus humanum, sceptri vice sumo, eo in hostes Imperii ac perduelles usurus.* Dixit, & sic etiam postea pugnavit, piis solitus votis promissisque victoriam à Deo quodammodo pacisci. Tam generosâ

verò omnes pietate moti, & salutis infigne venerati, sacramentum dicunt, auxiliaque in publicas belli pacif- que necessitates addicunt. Novus Imperator, ut affinita- tibus quoque fulciretur, Machtildem filiam Ludovico Palatino, Agnetem Alberto Saxoni, Hedwigem Otho- ni Brandeburgico nuptum tradit. Quem timeret, trium jam Principum Electorum focer? Regum futurus? Tam validis igitur in præfenti succinctus subsidiis, & majores à se animos fumens, Imperii sanare vulnera aggressus est, adeò tum inveterata; ut ferro opus esset, nec uno bello. Insurgunt, factò foedere, quindecim Sueviæ Comites, magnaque Nobilium pars: alii avaritiâ, ne per vim & in- juriam occupata, jure redderent; alii invidiâ, quia quem parem viderant, superiorem non ferebant. Sed minor Cæsare totus hic tumultus: levi omnes bello dejecti. Fe- rocior Othogarus, & quasi ludibrio concitatus, dum ad genua Imperatoris, obsequium delaturus, accedens, la- xato repente tentorio, omnium simul oculis subjiceretur. Acriores etiam ab uxore Cunegunde, cujus ambi- tioni obnoxius erat, stimuli, hanc ei publici conspectûs contumeliam assiduè exprobrante. A fide igitur & offi- cio resiliens, Austriam, Stiriam, Carinthiam, provin- cias semel abdicatas, armis repetebat: sed quid? ut inju- stus, ita infelix. Cruento enim prælio victus, fugatus, occisus est. Sæva victoria, lenem tamen victorem fecit: qui recepto in gratiam, imò in affinitatem Wenceslao, Othogari filio, gnatam suam Gutam; ac vicissim gnatum RVDOLFVM Agneti, sorori Wenceslai, despondit, sce- ptri futurum heredem, si mascula sine prole Rex novus decederet. Quàm lætæ & liberales postea nuptiæ fue- rint, pompa ostendit: centum quotidie millia hominum epu-

epu-

epulo interfuere. Austria tum quoque Imperii Comitibus Alberto RVDOLFI filio, ac posteritati cessit: unde titulus familiae, magnis undique, & fatalibus Fortunae incrementis. Rex amotus erat, & Imperatoris nomine Pseudo-Fredericus repente prodiit, magnam Inferioris Germaniae partem ad se trahens: tantam quidem Imperii fiducia, ut & Comitibus indicere, & evocare RVDOLFVM ausus sit, obsequia ab eodem exacturus. Ergo & arma sumpta, ut audax impostor coerceretur. Captus, scelerisque convictus, igni poenas dedit. Praedones praeterea publici oppugnati, octoginta eorum arces captae; quasi sic tandem Germania respiraret. Motuum adhuc reliquiae, Antistes S. Galli, ac deinde Burgundi. Illum, saepius molestum, RVDOLFVS ludens magis quam pugnans compescuit, & tamquam bellaria quaedam belli objecta essent: in hosce viribus quoque Galliae subnixos, majori mole ivit. Montembelgardum igitur, totamque circa regionem occupans, obsidere & Vefontionem coepit: monitusque, in paucos dumtaxat dies commeatum castris suffecturum, *Urbem*, inquit, *expugnate; hinc capiemus.* Suo interim exemplo milites ad inediae tolerandam provocans, erutam ex agro rapam in panem sibi obsoniumque sumpsit, spectante exercitu, & tamquam novus Curius pranderet. Partem frugalitate victoriam dixeris: pacem hostes ultrò petiere. Plura (& longum sit recensere) confecit bella; sed unam eademque semper fortunam, quia felix; unam eademque gloriam, quia clemens, Victoriosi cognomen, signis deciesquater collatis, adeptus. Quot nimirum liberi, tot triumphi erant. Cum satis sic quidem in Germania negotii esset, ab Italia abstinuit, tutissimum ratus, res Imperii, ubi infeliciter aliis
cesse-

cefferant, per Legatos administrare. Secundas etiam nu-
 ptias cum Agnete Burgunda, præstantis formæ virgine
 contraxit, sive novæ spe prolis, sive ut viduam, & sic tri-
 stem senectam recrearet. Plenus tandem annis, las-
 fusque curis, in Albertum Filium transferre onus AV-
 GVSTALE studuit. Francofurtum conveniunt Princi-
 pes; properat ipse; sed aliò, ducente Deo, iturus. In iti-
 nere feбри correptus, cum extrema præfagiret, Spiram,
 & ad Cæsares inibi sepultos, deferri voluit; ad Comi-
 tia, non Imperii, sed fati. An delatus? Gemershe-
 mii (in quo tunc oppido tota gemere Germania po-
 tuit) vi morbi oppressus, intra paucos dies obiit: Spiræ
 tamen, & ex destinatione sepultus, anno .m. ccc. xci.
 cum vixisset septuaginta tres, imperasset octodecim;
 quemadmodum decimo octavo sæculi natus erat: mi-
 ro iterum consensu numeri, tempore Imperium, tem-
 pus Imperio designantis. Princeps inter Heroës magis
 quam homines collocandus, inter Divos quam Cæsares.
 Augustus virtute, & tamquam à se summus esset.
 Alios enim Imperium, quod erat, Imperatores fecit:
 RVDOLFVS, quod perierat, fecit Imperium, & sibi quo-
 dammodò vindicavit. Augustus etiam stirpe, in qua tre-
 decim hæctenus numerantur Cæsares, Boni, Pii, AV-
 STRIACI: quibus nominibus titulisque felicitas Impe-
 rii, salus hominum, securitas temporum continetur.

